# INSTRUCTIO CONFESSARIORUM

DE MODO
AGENDI IN TRIBUNALI POENITENTIÆ,
JUXTA INSTRUCTIONES
S. CAROLI BORROMÆI,
ET DOCTRINAM
S. FRANCISCI SALESII,
MANDATO
REVERENDISSIMI BAJOCENSIS EPISCOPI
*GALLICE EDITA*
AD USUM CONFESSARIORUM SUÆ DIOECESIS,
NUNC VERO
JUXTA QUARTAM CORRECTAM, EAMQUE NOTABILITER AUCTAM EDITIONEM PARISIENSEM LATINITATE DONATA
A QUODAM
PRESPYTERO ECCLESIASTICO SS. THEOLOGIÆ DOCTORE.

*PARS SECUNDA.*

OLOMUCII MORAVORUM,
TYPIS JOSEPHÆ HIRNLIANÆ, FACTORE JOSEPHO FRANCISCO LOSERTH. 1778.

# PARS II.

## DE POTESTATE CONFESSARIORUM

## CAPUT I.

### DE POTESTATE CONFESSARIORUM IN GENERE.

Qualitas præ reliquis in Confessario necessaria est potestas solvendi & ligandi. Nam quantacunque scientia, prudentia & virtute instructus sit, si hac distituatur, valide nunquam absolvet. Materia hæc accuratiori elucidatione & determinatione indiget, ne periculo limites potestatis sibi creditæ prætergrediendi ex-

ponantur Confessarii, quod frequenter ob materiæ hujus obscuritatem contingit, dum, vel in personas suæ Jurisdictioni non subjectas, vel a casibus reservatis, absolvendi potestatem sibi competere æstimant.

Vix aliquid in universa morali adeo tenebris involutum est, ac materia de potestate Confessariorum, cujus adeo frequenter sibi contrariantes Theologorum decisiones argumentum sufficiens sunt. Ita Concilium Tridentinum Episcopis universis potestatem asserit a casibus Summo Pontifici reservatis absolvendi, quamdiu occulti sunt; jam cum determinandum venit, quandonam casus occultus censeri debeat? in diversas Theologi discedunt sententias; an Parochus speciali indigeat approbatione Episcopi ad excipiendas Confessiones in aliena Parochia proprio in id consentiente Parocho? an Sacerdos excommunicatus, denunciatus notorie hæreticus in articulo mortis valide absol-

vere

vere poſſit? hæ & infinitæ aliæ ſunt quæſtiones, circa quas Theologi non concordant, unde non niſi cum tremore hanc materiam explicandam ſuſcipio, allaturus ea tantum, quæ probabiliora, & Sanctorum Patrum dictis magis conformia invenio, quæ tamen ſingula judicio Sanctæ Matris Eccleſiæ ſubjecta volo.

Eſt Eccleſiæ Catholicæ doctrina, duplicis generis poteſtatem in Confeſſario requiri: prima poteſtas ordinis, quam in impoſitione manuum Presbyterii recipit a charactere Sacerdotali ſeparari neſcia. Secunda poteſtas juriſdictionis, quam Eccleſiaſticus etiam non Presbyter, dum beneficium cum animarum cura obtinet, conſequitur. Poteſtas Ordinis tribuit potentiam internam & ſupernaturalem ex parte miniſtri ad remittenda peccata neceſſariam. Poteſtas Jurisdictionis facultatem confert ex parte fidelium requiſitam, ſcilicet auctoritatem judicandi & ſententiam feren-

di in eos, qui de peccatis ſuis ſe accuſant.

Utraque hæc poteſtas ad validam Sacramenti pœnitentiæ adminiſtrationem abſolute neceſſaria eſt. Nam ſicut poteſttatem Jurisdictionis habens, niſi Presbyter fuerit, valide non abſolvit; ita quoque Presbyter ordinatus, niſi poteſtatem Jurisdictionis obtinuerit, dempto caſu neceſſitatis, valide abſolvere nequit.

Jurisdictionis poteſtas duplex diſtingui ſolet, alia eſt ordinaria, delegata alia; ordinaria: quam quis conſequitur titulo beneficii, aut officii curam animarum annexam habentis, ut Epiſcopatus, Parochiæ &c. Delegata: quæ datur Presbyteris ordinariam Jurisdictionem non habentibus.

Ordinariam Jurisdictionem omnes paſtores animarum in diſtrictu paſtoratus ſui habent, ut Epiſcopi in Diœceſi,

cesi, Parochi in parochia sua, Præpositi Religiosorum in religiosos suos, ita tamen, ut jurisdictio subordinatorum Pastorum respectu casuum quorumdam vel Romano Pontifici, vel Episcopis reservatorum limitata sit.

Delegata Jurisdictio non solum quoad certas personas & casus, prout ordinaria limitari, verum etiam ad certum locum & tempus restringi potest; quæ restrictio, ut Concilium Tridentinum Sessione 14. Cap. 7. declarat, *coram Deo vim habet.*

Hæc potestas Jurisdictionis respectu Sacramenti pœnitentiæ, de qua nobis hic sermo est, delegari potest vel sola, vel cum omnibus aliis functionibus ordinariæ Jurisdictionis. Delegatur sola Presbyteris, Ecclesiasticis, aut Regularibus, dum pro excipiendis fidelium Confessionibus tantum approbantur. Delegatur cum omnibus functionibus ordinariæ Ju-

risdictionis, dum Vicariis, aut Cooperatoribus Parochorum poteſtas conceditur non modo fidelium confeſſiones excipiendi, verum & reliquas functiones paſtorales in defectu paſtoris proprii obeundi.

Delegatio a ſimplici approbatione differt, licet raro ab invicem ſeparentur, & nomine approbationis delegatio frequenter intelligatur; nam approbatio proprie ſumpta eſt actus, ſeu judicium Superioris, quo Epiſcopus quaſi conteſtatur, quod ad excipiendas fidelium confeſſiones aptum hunc inveniat Sacerdotem; delegatio autem eſt actus voluntatis, quo reipſa Jurisdictionem in Fideles ei communicat, ut vi poteſtatis in ordinatione acceptæ eis peccata vel remittere, vel retinere poſſit.

Jurisdictionem ordinariam præter Epiſcopum non niſi quædam privilegiatæ perſonæ concedere poſſunt; omnis vero, qui ordinaria Jurisdictione

eſt

eſt inſtructus, eam Sacerdoti ab Epiſcopo approbato delegare poteſt; juxta hanc Canoniſtarum regulam: *Quivis habens Jurisdictionem ordinariam delegare poteſt.*

Sacerdos tantum ad excipiendas confeſſiones approbatus alteri non approbato hanc jurisdictionem delegare nequit; qui vero jurisdictionem delegatam ad univerſas functiones parochiales habet, ut Vicarii, aut Adminiſtratores Parochiarum, valet poteſtatem fidelium ſibi ſubordinatorum confeſſiones excipiendi delegare Sacerdoti ab Epiſcopo approbato, niſi ſpecialis exceptio reſpectu hujus ei facta eſt, aut contraria conſuetudo in aliqua Diœceſi jam invaluit, tum enim præcepto, aut conſuetudini parere deberet.

Cum titulus Jurisdictionis ordinariæ, aut delegatio ob quemdam defectum occultum invalida eſt, modo defectus circa jus naturale, aut divi-

num non verſetur, abſolutiones validæ ſunt, quia Eccleſia defectum Juriſdictionis ſupplet; hinc ſi plures Presbyteri de eadem parochia canonice proviſi fuiſſent, ſinguli valide abſolverent, etſi unus eorum tantum, aut etiam nullus valide proviſus ſit, aut ſi Sacerdoti irregularitate, aut cenſura occulta irretito delegatio fieret, hæc etſi in ſe ipſa foret invalida, abſolutiones tamen, quas talis tribueret, invalidæ non eſſent, donec nullitas ejusmodi delegationis palam fieret; & hoc eſt, quod intelligitur a Theologis, dum aſſerunt validam abſolutionem, *cum adeſt titulus coloratus, nec publicus error abeſt.*

Si defectus eſſet juris naturalis, aut divini, ut dum laico Parochia, aut diacono, qui Presbyter putatur, licentia excipiendi fidelium confeſſiones conferretur, abſolutiones ab his conceſſæ nullæ forent, talem enim defectum Eccleſia ſupplere nequit.

Nec ſupplet Eccleſia defectum in Confeſſario contra jus Eccleſiaſticum, ſi notorius eſt. Epiſcopus ad confeſſiones diœceſanorum ſuorum excipiendas quemcunque Sacerdotem, etiam Diœceſeos alienæ non habentem proprii Epiſcopi ſui approbationem, approbare valet.

Ante Concilium Trident. Parochus quisque ad Parochianorum ſuorum confeſſiones excipiendas quemcunque Sacerdotem deputare poterat, ut hucusque reſpectu aliorum Sacramentorum, facere poteſt; a tempore autem Concilii hujus non poteſt eligere niſi talem, qui aut parochiale beneficium habeat, aut ab Epiſcopo idoneus judicatus approbationem ante obtinuit. Sic quoque alias quiscunque Sacerdos confeſſiones eorum, qui venialibus ſolum peccatis onuſti erant, excipere poterat, verum & hic uſus anno 1679. per Innocentium XI. penitus abrogatus eſt.

Approbatio, & delegatio, quia actus gratiosi a liberalitateEpiscopi dependentes sunt, non solum limitari, verum etiam ante tempus definitum revocari possunt, si ita Episcopo visum fuerit; pari modo Episcopo jus competit, quoties quis pro approbatione venit, eum de novo examini subjiciendi.

Præsumpta licentia ad validitatem absolutionis non sufficit, sed expressa, in terminis concessa, esse debet, id est: non sufficit, quo quis valide absolvat, præsumptio, quod Episcopus ei licentiam excipiendi confessiones datarus esset, si eam ab illo peteret, sed necesse est, ut reipsa eam petat, & obtineat. Confessarius pro una Diœcesi approbatus, etiam Diœcesanos alienos bona fide ad eum accedentes valide absolvere potest. Dixi tamen bona fide accedentes: nam si quis ad subterfugiendas censuras a proprio Episcopo latas accederet, ejus-

jusmodi homini concessa absolutio foret nulla.

Parochialem jurisdictionem habens territorio nullo circumscribitur, sed Parochianos suos etiam in aliena Diœcesi valide absolvere potest, quo tamen hunc jurisdictionis actum licite exerceat, oportet, ut a Parocho loci licentiam requirat. Licet Parochus vi beneficii sui jurisdictionem tantum in suos Parochianos habeat, potest tamen in subsidium ab alio vocatus, etiam in aliena Parochia confessiones excipere, nisi id specialiter ab Episcopo ei interdictum fuerit; consuetudo enim hæc jam obtinuit, & Episcopi scientis hæc fieri consensus tacitus adest.

Dum licentia conceditur alicui fidelium confessiones audiendi adjecta hac clausula: *de consensu Parochi*, inquirendum venit, an hanc conditionem ad validitatem confessionis, an solum ad concordiam inter confessa-

rium & Parochum conſervandam adjiciat; nam in primo caſu abſolutio conceſſa, licentia Parochi ante non obtenta, foret invalida. Idem obſervandum venit circa limitationem jurisdictionis ad certam Eccleſiam, vel Parochiam, nam ſi per hoc ipſam jurisdictionem limitare intendit Epiſcopus, talis Confeſſarius extra hunc valide non abſolvit.

Approbatio generalibus terminis facta non includit in ſe licentiam abſolvendi a caſibus reſervatis, aut excipiendi confeſſiones Monialium; ad hæc enim ſpecialis & expreſſa licentir requiritur, quod ex ea Juris Canonici regula conjicimus, quæ ſtatuit: *In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet in ſpecie veriſimiliter conceſſurus.*

Parochus reſignatione Parochiæ ſuæ facta, ſi amplius confeſſiones fidelium excipere velit, ſpeciali Epiſcopi approbatione ad id indiget, quia

ea ipſa die, qua ſucceſſor hujus beneficii poſſeſſionem capit, ordinariam, quam ante habuit, amittit jurisdictionem.

Delegata Jurisdictio, quatuor modis ceſſare poteſt; *primo:* revocatione, ut primum hæc innotuerit ei, qui talem jurisdictionem habuit; *Secundo:* cum ad certum tempus reſtricta fuit, eo præterlapſo. Inchoatam tamen ante confeſſionem proſequi, & ad finem usque perducere valet; hinc finis hujus temporis non reſpicit, niſi confeſſiones primo inchoandas, conſummatione tamen ejusmodi confeſſionum anteceptarum cavendum eſt, ne ſcandali occaſio tribuatur. *Tertio:* per irregularitatem aut cenſuram, quam incurrit is, qui jurisdictionem delegatam habuit, ſi denunciatus fuit, aut ſententia condemnationis in eum lata, ei legaliter denunciata eſt; nam abſolutio, quam daret ante denunciationem, aut ante ſententiam ſibi promulgatam, illicita tantum, non

vero

vero invalida foret, nisi ipsa irregularitas esset talis, quæ natura sua confessarium inhabilem reddit ad essentialia Sacramenti perficienda, ut e. g. privatio omnis loquelæ. *Quarto*: per mortem aut cessationem jurisdictionis in ipso delegante. Hoc tamen solum locum obtinet respectu Sacerdotum eorum, quibus delegatio facta est: personarum quarumdam determinatarum confessiones excipiendi, si nondum confessiones has inchoarunt; nam si vel ante mortem delegantis inchoatæ fuissent, post mortem ejus consumari possent, vel approbatio generalis ad excipiendum confessiones in aliqua Diœcesi, aut Parochia data fuisset, per mortem Prælati qui eam concessit, non exspiraret.

Licentia pœnitenti ipsi concessa: confessiones suas apperiendi Sacerdoti, cui alias potestas confessiones excipiendi non erat, morte concedentis non finitur, etiamsi confessio ante eam inchoata non fuerit, quia per-

missio

missio talis in favorem petentis facta censetur esse *gratia facta*.

Delegatio particularis facta per Vicarium Generalem morte ejus non finitur, quia potestas hæc in ipso Episcopo, cujus Vicarius generalis hic erat, perdurat. Breve a Pœnitentiaria Romana acceptum, quo licentia conceditur, vel absolvendi a casu aliquo reservato, vel dispensandi in re aliqua, executioni mandari potest etiam post mortem Pontificis, quo vivente obtenta fuit ideo, quia tribunal Sacræ Pœnitentiariæ continuo subsistit. 

## CAPUT II.

### De Potestate Confessariorum respectu Casuum Reservatorum.

Casus reservati nominantur ea peccata, quorum absolutionem sibi reservat Superior, ut Romanus Pontifex, Episcopi, Generales, aut Provinciales ordinum Religiosorum.

Con-

Concilium Tridentinum expresse docet, quod in articulo mortis ab omnibus casibus, & censuris reservatis, quisque Sacerdos valide absolvere possit. Jam per articulum mortis Theologi probabile mortis periculum intelligunt; & quia Concilium hanc reservationem tollit ideo, nequis pereat defectu Sacramenti, inde inferunt, quod sub voce *omnibus censuris* Concilium suspensionem subintellectam non velit eo, quod suspensio nec a receptione Sacramentorum, nec ab æterna salute impediat quemquam.

In probabili mortis periculo quis censetur esse, dum in circumstantiis, quæ mortem causare possunt, positus est. Tales sunt: pestis, febris calida, pugna, puerperium &c. In his ergo circumstantiis, si confessarius personam inveniat censura quadam irretitam, aut reservato casu onustam, nec alius confessarius ab his absolvendi potestatem habens pro tunc haberi possit, absolvere omnino valet.

Sunt Theologi, qui æſtimant ſub voce *quicunque Sacerdos*, quam Concilium adhibet, Sacerdotem excommunicatum, & denunciatum, aut publice hæreticum non comprehendi, ſed eam ſolum de Sacerdotibus in communione Eccleſiæ viventibus intelligi debere. Hinc, quia tutiora ſequenda, ne periculo pœnitens exponatur, oportet, ut in ejusmodi circumſtantiis, ſi ſupervenerit approbotus Sacerdos, aut ſaltem in Eccleſiæ communione conſtitutus, & id a pœnitente fieri valeat, confeſſio iteretur, aut ſaltem actu contritionis prius elicito abſolutio de novo pœnitenti concedatur, quod ſi vero pœnitens omni ſenſu jam deſtituatur, ei abſolutio conditionate dari poterit, dicendo: *Si non es abſolutus, ego te abſolvo* &c.

Qui in mortis periculo a Confeſſario abſolute a caſibus reſervatis abſoluti fuerunt, ſi convaluerint, ad ſuperiorem a reſervatis caſibus abſolvendi

vendi poteſtatem habentem redire non teneantur, niſi forte cenſura aliqua Eccleſiæ cum ejusmodi peccato foret conjuncta.

Is, qui cenſura innodatus Eccleſiæ obedientiam debitam præſtare, eique ſe ſubmittere, aut læſionem illatam reparare recuſat, etiam in mortis articulo abſolvi non debet.

Cum poteſtas abſolvendi a reſervatis in articulo mortis ideo unicuique Sacerdoti conceſſa ſit, *ne quis pereat*, diſpenſatio autem in votis, ſuſpenſione, irregularitate, aut impedimentis matrimonii ad ſalutem morientis non requiratur, ſequitur, quod hæc etiam in mortis articulo concedi non poſſit, niſi ab eo, cui poteſtas iſta vel ordinaria, vel delegata eſt.

Nullus Superiorum a caſu reſervato abſolutionem Sacramentalem tribuere poteſt, niſi audita prius confeſſione integra pœnitentis: integritas

tas enim confeſſionis Juris divini eſt; hinc, ſi quis caſu reſervato irretitus ſe præſentaverit, Superior vel integram Confeſſionem ejus excipere, vel poteſtatem ab hoc caſu reſervato abſolvendi ordinario hujus perſonæ confeſſario committere debet.

Juxta doctrinam Concilii Tridentini extra articulum mortis a caſibus reſervatis abſolvere nullus valet, niſi hanc poteſtatem vel ordinariam vel delegatam habuerit; ſed dum talis ei caſus occurrit, vel ipſe pro licentia recurrere, vel pœnitentem ad ſuperiorem remittere debet. Hoc tamen non obſtante Concilii decreto ſunt circumſtantiæ quædam, in quibus abſolutionem poteſt tribuere Confeſſarius etiam extra mortis articulum.

*Primo* dum Bulla quædam Jubilæi aut indulgentiæ cujusdam cum præſcitu Epiſcopi publicatur, in qua hæc licentia generaliter quibuscunque Sacerdotibus conceditur, niſi ab Epiſco-

po

po ſpecialiter quoad hoc punctum fuerit reſtricta.

*Secundo* dum perſona quædam ſe præſentat, quæ ſine infamia, Scandalo gravi, aut alio ſummi generis incommodo a receptione Sacramenti, aut alia functione ſacra, ad quam ſtatus gratiæ prærequiritur, abſtinere nequit, & confeſſarius a reſervatis abſolvendi poteſtatem habens præſto nullus eſt, ut e. g. Si Sacerdos eſſet, qui ſacris operari jamjam teneretur, vel puella, quam ad ſacram Synaxim ducendam mater oculatiſſima præſtolaretur, tum enim, ſi cæteræ diſpoſitiones omnes adſint, abſolvi poſſet, quia tacitus hic præſupponi poteſt Superioris conſenſus. Non obſtante tamen hac abſolutione, ut primum pœnitenti huic poteſtas fuerit, tenetur ad ſuperiorem confugere, ut ab eo & pœnitentiam condignam, & abſolutionem recipiat. Dixi autem: Si ceteræ diſpoſitiones omnes adſint; nam ſi deſideraretur vera converſio, nul-

nullatenus abſolvi deberet, aut ſi ad ſubterfugiendum quis data opera in tale tempus, talesque circumſtantias confeſſionem differret, quam potuiſſet ante habenti poteſtatem abſolvendi ab hoc caſu facere; hujusmodi enim perſonis abſolutio concedi non poſſet, quia *fraus*, *&* *dolus nemini debent patrocinari*.

*Tertio* Cum quis bona fide acceſſit ad Sacerdotem facultatem a reſervatis abſolvendi, & citra culpam propriam alicujus oblitus eſt, quod aperuiſſet, ſi ejusdem meminiſſet, non tenetur ultra ad eundem, vel alium Superiorem accedere, ſed a quovis approbato Presbytero abſolvi poteſt, eo, quod præcedenti abſolutione implicite ab hoc peccato fuit abſolutus.

*Quarto* dum pœnitens peccatum hoc reſervatum jam confeſſus eſt Sacerdoti poteſtatem iſtam habenti, abſolutionemque recepit, ac tandem eandem confeſſionem repetere tene-

tur,

tur, quia invalida eſt; ſi hæc confeſſio citra ſuam culpam invalida fuit, tum a quocunque confeſſario abſolvi poterit; quod ſi autem data opera, & deliberate confeſſionem fecit invalidam, tenetur recurrere ad Superiorem.

Extra has quatuor curcumſtantias Sacerdos poteſtatem a reſervatis abſolvendi non habens, ſine ſpeciali licentia ad hœc obtenta nullum a caſu reſervato valide abſolvere poteſt.

Qui a Romano Pontifice licentiam abſolvendi a caſibus Sacræ Sedi reſervatis obtinuerunt, a caſibus Epiſcopo reſervatis vi hujus licentiæ abſolvere non poſſunt.

Omnes Theologi, & Canoniſtæ in eo conveniunt, quod poteſtas abſolvendi a caſibus Romano Pontifici reſervatis in ſe includat poteſtatem abſolvendi etiam a cenſuris reſervatis huic caſui conjunctis, ac proinde

poſſe

poſſe dari abſolutionem a cenſura, quin abſolutio etiam detur ſuper peccato, facta autem ſemel remiſſione a cenſura, abſolutionem a peccato per quemcunque confeſſarium dari poſſe.

Id ipſum dici poteſt de poteſtate abſolvendi a caſibus reſervatis Epiſcopo, quod ſcilicet includat poteſtatem abſolvendi ab excommunicatione huic caſui conjuncta, niſi Epiſcopus expreſſe declaret, quod concedendo poteſtatem abſolvendi a peccato, non velit ſimul concedere poteſtatem abſolvendi a cenſura, rationem doctrinæ hujus ex hiſce axiomatibus juris deſumimus: *qui dat eſſe, dat conſequentia adeſſe. Cui data eſt jurisdictio, ea quoque data ſunt, ſine quibus jurisdictio expediri non poteſt.* Nam ſine poteſtate abſolvendi ab excommunicatione poteſtatis abſolvendi a caſu reſervato, cui excommunicatio eſt adnexa, uſus nullus eſt; aliter ſe res haberet circa ſuſpenſionem caſui re-

ſervato annexam; quia, ut a peccato abſolutio fieri poſſit, neceſſe non eſt ſuſpenſionem ante tolli.

Poteſtas abſolvendi a cenſuris reſervatis generaliter conceſſa reſpicit cenſuras tam a *jure*, quam ab *homine* generaliter latas, quia hæ poſteriores generatim latæ, quaſi *a jure* reſpiciuntur; quodſi autem cenſura aliqua feratur in ſpecialem perſonam denominatam ſive laicus, ſive Eccleſiaſticus is ſit, ab hac generalem a cenſuris reſervatis abſolvendi poteſtatem habens abſolvere non poſſet; prout etiam idem non valet a cenſuris ſpecialiter reſervatis perſonæ Epiſcopi abſolvere, niſi ſpecialem ad id licentiam obtinuerit.

Poteſtas abſolvendi a cenſuris tam a *jure* quam *ab homine* in ſe non excludit poteſtatem abſolvendi a cenſuris illis, quæ vel pro ſemper, vel ad certum determinatum tempus latæ ſunt, nam hæ non ut puræ & nudæ cenſuræ, verum ut pœnæ conſtitutæ reſpici debent, quæ non tam abſolutione,

quam

quam diſpenſatione ſtatuti, aut ſententiæ tolluntur.

Licentia abſolvendi ab omnibus caſibus & cenſuris reſervatis in ſe non includit poteſtatem diſpenſandi in votis, irregularitatibus; & impedimentis matrimonii, ad hoc enim requiritur, ut licentia hæc expreſſe concedatur. Cum per conſenſum Epiſcoporum omnibus fidelibus liberum ſit confitendi peccata ſua cuicunque Sacerdoti approbato, etiam in Diœceſi aliena, quam de qua pœnitens eſt, ſequitur: quod Confeſſarius reſpectu pœnitentis ex alia Diœceſi bona tamen fide ad ſe venientis omni poteſtate, quam ab Epiſcopo accepit, per conſequens etiam poteſtate abſolvendi a caſibus, & cenſuris reſervatis diſpenſandi in materia voti, irregularitatis &c. uti poſſit. Nam ejusmodi advenæ, dum talem ſibi confeſſarium eligunt, ejus jurisdictioni ſubjiciuntur, & Epiſcopus conſentiens, ut ei peccata ſua confiteantur, cenſetur

consentire, ut ipse omni, qua instructus est potestate, respectu illorum utatur.

Confessarius ad confessiones Monialium determinati Monasterii approbatus, vi approbationis hujus Monialium alterius cujusdam Monasterii confessiones excipere non valet, sicut nec ei, cui potestas concessa est titulo extraordinarii confessarii semel Monialium confessiones excipere, deinceps licet earum confessiones audire, nisi specialiter ad id denuo fuerit delegatus.

Omnis confessarius alienæ Diœceseos hominem bona fide ad se venientem absolvere etiam potest ab iis casibus, quos Episcopus proprius pœnitentis sibi reservatos habet, modo iidem casus Ordinario confessarii non fuerint reservati; nam reservatio hæc se solum habet ex parte confessarii, cujus potestas per eam limitatur; sicut ergo non potest alienus Episcopus

Pres-

Presbyteri alterius Diœcesis potestatem limitare, ita quoque reservationes illius non possunt talem confessarium in exercitio functionis suæ impedire. Excipiuntur tamen ab hac regula generali censuræ illæ, quæ nominatim contra aliquem per sententiam latæ fuerunt, ab his enim excepto articulo mortis nemo sine speciali licentia illius, qui censuram tulit, absolvere potest, nam *ejus est solvere, cujus est ligare.*

Quod si pœnitens in aliena Diœcesi peccata sua Sacerdoti approbato confitens se de aliquo delicto accusat, cujus absolutionem Episcopus hujus Diœceseos sibi reservavit, ad eum confessarius pro licentia absolvendi recurrere debet, etiamsi hoc delictum in Diœcesi, de qua pœnitens est, inter reservata non numeretur.

Si confessario alicui potestas absolvendi a casibus reservatis concessa fuerit ad certum tempus, hoc tempore

præterlapſo adhuc a reſervatis caſibus abſolvere poterit eos, quorum confeſſiones ante, quam tempus illud exſpiraſſet, jam fuerunt inchoatæ. Ubi facultas abſolvendi a caſibus aut cenſuris reſervatis, vel diſpenſandi in materia voti, irregularitatis, impedimentorum matrimonii &c. indefinite, & ſine reſtrictione alicui conceſſa eſt, perpetuo durat, etiam poſt concedentis mortem, niſi interveniat revocatio, hoc fundatur in capite: *Si cui: de Præbendis in 6to.* ubi Bonifacius VIII. inquit: *Si cui nulla perſonarum facta expreſſione ſit gratioſe conceſſa facultas, ut authoritate apoſtolica poſſit aliquibus perſonis idoneis in certa Eccleſia providere, vel beneficia conferre, hujusmodi conceſſio (quam, cum ſpecialem gratiam contineat, decet eſſe manſuram) non exſpirat etiam re integra per obitum concedentis.* Nam & talis facultas ſpecialem continet gratiam, ideo & eam decet eſſe manſuram.

Nec

Nec hic juſte objici poteſt, quod per talem conceſſionem Epiſcopus prior Succeſſoris ſui jurisdictionem minuat, aut ei præjudicet; quando quidem Succeſſori jus competit, ut primum voluerit id revocare, ac per conſequens impedire, ne in præjudicium auctoritatis ſuæ quidquam fiat.

Delegatio facta confeſſario abſolvendi determinatam quamdam perſonam a caſu reſervato, aut diſpenſandi in materia voti per mortem Epiſcopi concedentis exſpirat, niſi ante mortem illius executioni dari jam cœperit, quod ex eodem capite, ſupra citato, *Si cui* inferimus, ubi ita Pontifex ſubdit: *Secus ſi ſuper proviſione certæ perſonæ facienda ſit data poteſtas eidem non ob ſuam, ſed ejus, cui provideri mandatur, gratiam vel favorem, illa quidem exſpirat omnino, ſi concedens re integra moriatur.* Cauſa hujus hæc eſt, quia in tali particulari caſu non tam conceditur poteſtas abſolvendi, quam ipſa abſolutio, cu-

jus *nudum ministerium*, seu simplex executio tali Sacerdoti tantum committitur.

Potestas absolvendi a reservatis, & aliæ hujus generis, quæ hac clausula conceduntur: *ad beneplacitum nostrum, ad nostram voluntatem, quamdiu voluero*, exspirant per mortem concedentis, quia morte interveniente velle desinit. Hujus fundamentum e capite quinto de Rescriptis in 6to desumimus, ubi dicitur: *si gratiose tibi concedatur a Romano Pontifice, ut beneficia possis usque ad suæ voluntatis beneplacitum retinere, hujusmodi gratia per ejus obitum eo ipso exspirat.*

Quodsi autem Episcopus concederet potestatem talem eousque, donec eam revocaverit, aut aliter ordinaverit, hæc potestas accepta morte ejus non exspiraret; nam hæc verba, *donec revocavero, vel aliter ordinavero* important actum positivum voluntatis, aliter ordinantis, vel gratiam

revocantis, qui actus si in vita habitus non sit, cum post mortem haberi nequeat, durabit gratia, donec ab alio ejus successore revocetur.

Dum Episcopus inter casus reservatos etiam censuras vel dispensationes ponit, ut in Bajocensi Diœcesi mos obtinet, censetur cum potestate a casibus reservatis absolvendi, simul potestatem absolvendi ab his censuris aut concedendi talem dispensationem conferre, nisi in generali concesione facta, hæc specialiter excipiat; non enim semper reipsa utramque hanc licentiam concedunt, & tum hanc posteriorem specialiter excipiunt, ut apparet e Rituali Bajocensi, ubi hæc nota ponitur; *caveat tamen Sacerdos, cui concessa est facultas absolvendi a casibus D. Episcopo reservatis, ne sub prætextu ejusdem facultatis suspensos, interdictos -- -- rehabilitare, ne in votis & impedimentis matrimonii dispensare præsumat, nisi specialiter ad hoc obtinuerit facultatem.*

Illi, qui intentionem non habent indulgentias Jubilæi lucrandi, per confeſſarium, cui intuitu hujus indulgentiæ ſolum poteſtas a reſervatis abſolvendi conceſſa eſt, abſolvi a reſervatis caſibus non poſſunt, quodſi tamen initio Jubilæi confitens cum intentione indulgentias lucrandi abſolutus fuiſſet, tandem vero reliqua opera in Bulla præſcripta præſtare neglexiſſet, valida foret abſolutio obtenta.

Eos, qui ſuſpenſionis cenſuram incurrerunt, quiscunque confeſſarius etiam a reſervatis caſibus abſolvendi poteſtatem non habens valide a peccatis abſolvere poteſt, quia ſuſpenſio effectu Sacramentorum non privat; ille autem, qui nominatim interdictus eſt, aut excommunicatus, niſi prius ab eo, cui poteſtas hæc eſt, a cenſura abſolvatur, valide a peccatis abſolvi nequit, cenſuræ enim iſtæ obſtaculum valori abſolutionis ponunt. Illi, qui vel ipſum crimen commiſerunt,

runt, vel perpetrationi cooperati ſunt, ob quod interdictum locale latum fuit, abſolvi, excepto articulo mortis, non poſſunt, niſi ſublato interdicto.

Quando poteſtas abſolvendi a caſibus Romano Pontifici reſervatis eſt alicui dignitati, aut officio annexa, is, qui ea inſtructus eſt, hanc poteſtatem aliis delegare poteſt, non tamen eam delegare valet, qui per ſpeciale Breve ab aliquo caſu, aut cenſura abſolvendi, aut diſpenſationem impertiendi poteſtatem obtinuit.

Sunt, qui putant iis, qui pœnitentiarii munere funguntur, jus competere non modo a caſibus Epiſcopo reſervatis abſolvendi, verum etiam hanc eandem poteſtatem delegandi aliis, ſed minus veriſimiliter, quandoquidem Concilium Lateranenſe & Tridentinum, quæ duo Concilia pœnitentiariorum inſtitutionem præceperunt, nullum aliud iis tribuunt privilegium, quam ut tempore, quo excipiendis

confeſſionibus vacant, in Choro pro præſentibus habeantur; nec etiam credibile eſt, quod Epiſcopi ſe jure proprio in favorem pœnitentiariorum abdicare voluerint; quid? quod ſicut ad excipiendas fidelium confeſſiones approbatio Epiſcopi neceſſaria eſt, ita ad abſolvendum a caſibus reſervatis, quæ poteſtas particulari capacitate opus habet, ſpecialis etiam approbatio neceſſaria ſit, quæ concedi, non poteſt, niſi ab ipſo Epiſcopo, vel ab eo, cui id Epiſcopus commiſerat.

Epiſcopus Decanis ruralibus aut Vicarius foraneis, aliisque Sacerdotibus poteſtatem a caſibus reſervatis abſolvendi non tribuit niſi ob eorum propriam capacitatem; quare & ipſi hanc poteſtatem delegare aliis non valent, niſi forte & hæc ipſa poteſtas ab Ordinario eis fuerit conceſſa.

Om-

Omnes illi casus, quorum in aliqua Diœcesi absolutionem Episcopus sibi ipsi reservat, tales censeri debent, quod nemini, nisi specialem ab Episcopo licentiam ad id obtinuerit, ab iis absolvere licitum sit; quia tamen contingere potest, ut aliquando absolutionem a censura sibi Episcopus reservet, quin ipsum peccatum, per quod incurritur, in catalogo casuum reservatorum sit expressum, & tum caveat Sacerdos, ne forte ab hac censura absolvat aliquem sub prætextu, quod ipsum peccatum, quo incurritur, reservatum non sit.

Quodsi Confessarius potestatem a reservatis absolvendi non habens aliquem peccatorem a reservato casu absolverit, ipsa talis absolutio nulla est; quapropter tenetur, si id fieri possit, revocare pœnitentem, eum de nullitate absolutionis instruere, ac quo ad superiorem absolutionis obtinendæ causa se convertat, monere; quodsi autem id fieri non valeat, ipse pro

licto hoc pœnitentiam agat, ac de salute pœnitentis illius non angatur; nam cum bona fide pœnitens egerit, remissionem delicti a Deo certe obtenturus est. Quodsi autem ita absolutus sit unus de ordinariis hujus confessarii pœnitentibus, conveniens erit, ut ipse confessarius pro potestate ababsolvendi a tali casu ad Ordinarium recurrat, ac pœnitentem ad se reversum post generalem peccatorum prioris confessionis repetitionem absolvat.

## CAPUT III.

### Excerpta de Jure Canonico ad casus reservatos Romano Pontifici pertinentia.

I.

S*i quis suadente diabolo -- -- -- in Clericum vel Monachum violentas manus injecerit.* Can. Signis. 17. q. 4.

*NB.* 1*mo.* Per vocem *Monachus* Religiosi cujuscunque ordinis & sexus, etiam ipsi novitii habitu religionis

inve-

investiti intelliguntur, *Cap. Non dubium* & *Cap. de Monialibus de sent. excom.*

2*do.* Necesse est, ut violentia ipsa personæ Ecclesiasticæ vel religiosæ illata gravis sit, aut ratione effectus, qui inde secutus est, ut mors, mutilatio, aut gravis vulneratio, vel ratione circumstantiarum, ut si Sacerdotem sacris operantem etiam leviter tantum percuteret; nam ubi effectus gravis non est, casus solum Episcopo est reservatus, *Cap. Pervenit, de sent. Exc.*

3*tio.* In dubio, an gravis, an levis sit violentia facta, casus reservatus ab Ordinario censeri debet.

4*to.* Qui ad percussionem Clerici mandatum vel consilium dedit, qui percussionem talem non impedivit, ubi & potuit & debuit, denique qui percussionem talem sui causa factam

ap-

approbavit, excommunicationis reſervatæ ſententiam incurrit. *Cap. Mulieres & Cap. Quantæ de ſent. Exc. & Cap. cum quis eodem titulo in 6to.*

5*to.* Clericus reipſa degradatus, aut qui non virginem ſibi matrimonio ſociavit, Privilegio Canonis non fruuntur, prout etiam ii, qui habitum Clericalem], aut religionis deponunt, ut facilius crimen aliquod perpetrare valeant, pro hoc tempore eodem privilegio privantur. *Cap. Cum non de ſent. Exc.*

6*to.* Clericus, qui virginem matrimonio ſibi ſociavit, privilegio Canonis non fruitur, niſi dum tonſuram & habitum clericalem defert, ac ſervitio alicujus Eccleſiæ eſt addictus. *Concilium Trident. Seſſ.* 23. *Cap.* 6. *de Reform.*

7*mo.* Clericus, qui Sacris ordinibus inſignitus non eſt, nec beneficium aliquod obtinet, nec tonſuram & ha-
bitum

bitum clericalem defert, non censetur privilegio Canonis frui.

II.

*Si quis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem fuerit hostiliter insecutus, vel percusserit, aut ceperit, vel socius fuerit facientis, aut fieri mandaverit, vel factam ratum habuerit, aut consilium dederit vel favorem, vel postea receptaverit, aut defensaverit scienter eumdem.* Cap. Felicis. de pœnis in *6to.*

III.

*Si quis quemvis Pontificem injuriose vel temere percusserit, aut ceperit, seu banniverit, vel hæc mandaverit fieri, aut facta ab aliis rata habuerit, vel socius in his fuerit facientis, aut consilium in his dederit, vel favorem seu scienter defensaverit eumdem.* Clem. de pœnis, cap. 1.

IV.

*Universi & singuli, qui quomodolibet dando vel recipiendo (Ordines vel Bene-*

*Beneficia Ecclesiastica) Simoniam commiserint, vel quod illa fiat, mediatores extiterint, seu procuraverint.* Extrav. Com. cum detestabile, de Sim.

*NB.* 1*mo*. Quo quis hanc reservationem incurrat necesse est, ut Simonia sit realis, ita quidem, ut ex una parte res Spiritualis, ex altera vero res temporalis vel ex toto, vel ex parte data fuerit.

2*do*. Cum confidentialis Simonia veri nominis Simonia sit, dubitari nequit, quod cum realiter ex utraque parte commissa fuit, tam committentes eam, quam eorum interlocutores excommunicationis sententiam Romano Pontifici reservatam incurrerint, immo sola conventio conditionalis, si donatio beneficii eam secuta est, casus reservatus erit, tam respectu partium convenientium, quam respectu mediatorum.

V.

*Incendiarii, ex quo ſunt per Eccleſiæ ſententiam publicati.* Cap. Tua nos, de ſent. excom.

*NB.* Sive ædificium, quod conflagravit, Sacrum, ſive profanum fueri, modo reus nominatim ab Epiſcopo excommunicetur & publice denuncietur, caſus Romano Pontifici reſervatus eſt.

VI.

*Qui Eccleſias violenter confregerunt, easque ſpoliare minime dubitarunt.* Cap. Conqueſti. de Sent. exc.

*NB.* Quo crimen hoc Romano Pontifici reſervetur, oportet, ut reus nominatim denuncietur, quod infertur ex verbis: *Excommunicatos denuncietis* quæ eodem capite leguntur.

VII.

*Si quis falſas litteras (Pontificias) ſe habere cognoſcit, niſi intra viginti*

*dies litteras illas aut destruat, aut resignet. Postquam excommunicatus fuit ab Episcopo.* Cap. Dura de crimine falsi.

VIII.

*Clerici, qui scienter, & sponte participaverunt excommunicatis (a Pontifice Summo) & ipsos in officiis receperunt.* Cap. Significavit. de Sent. exc.

*NB.* Hoc solum de excommunicatis denunciatis est intelligendum, & quo casus hic reservatus sit Romano Pontifici, oportet, ut in divinis cum tali fiat communicatio.

IX.

*Qui nominatim excommunicato (a Papa) communicat scienter in crimine criminoso, ei consilium impendendo, auxilium, vel favorem.* Cap. Nuper; de Sent. exc.

*NB.* Hæc vox *crimine criminoso* notat illud ipsum crimen, quod excommu-

municationis causa fuit, & quidem excommunicationis publice denunciatæ.

X.

*Qui in locis interdicto suppositis quemquam divina celebrare officia quomodolibet cogere, aut qui -- -- -- ad officia eadem audienda aliquos excommunicationis præsertim, vel interdicti ligatos sententia evocare; seu qui, ne excommunicati publice, aut inderdicti de Ecclesiis, dum in ipsis Missarum aguntur solemnia: a celebrantibus moniti exeant, prohibere presumpserint.* Clem. Gravis de Sent. exc.

XI.

*Excommunicati publice, & interdicti, qui in ipsis Ecclesiis nominatim celebrantibus, ut exeant, moniti remanere præsumpserint.* Ibid.

XII.

*Religiosi, qui Clericis, vel Laicis Sacramentum Unctionis Extremæ vel*

*Eucha-*

*Eucharistiæ ministrare, matrimonia vel solemnisare, non habita super his Porochialis Presbyteri licentia speciali; aut qui excommunicatos a Canone, præterquam in casibus a jure expressis, vel privilegiis Sedis Apostolicæ concessis eisdem, vel a sententiis per Statuta Provincialia, aut Synodia promulgatis, seu (ut verbis eorum utamur) a pœna & culpa absolvere quemquam præsumpserint.* Clement. Religiosi de privil. & excess. privil.

XIII.

*Qui arma, equos, ferrum, ligamina, victualia, & alia quæcunque merc•nonia in Alexandriam, vel alia loca Sarracenorum Aegypti, deferre mittere, vel portare, seu de partibus eorum, ut eisdem deferantur: extrahere vel extrahi permittere, aut eis alias auxilium, vel favorem præstare quomodo præsumpserint.* Extrav. Com. 1. de Judæis.

XIV.

*Religiosi & Clerici Sæculares, qui aliquos ad vovendum, jurandum vel*

*fide*

*fide interpoſita, ſeu alias promittendum induxerint, ut ſepulturam opud eorum Eccleſias eligant, vel jam electam ulterius non immutent.* Clement. 3. de pœnis.

XV.

*Confeſſarii, qui ſub prætextu facultatum a ſede Apoſtolica conceſſarum a caſibus Papæ reſervatis, quæ in extravagante quinta de pœnit. & remiſſ. enumerantur, abſolvere, & emiſſa peregrinationis ultramarinæ, vel viſitationis liminum Apoſtolicorum Petri & Pauli, in Compoſtella, & caſtitatis, ac Religionis commutare, ſine ſpeciali licentia a Summo Pontifice accepta præſumpſerint.* Extrav. com. 5. de pœnit. & remis.

XVI.

*Quicunque ſive a maribus, ſive a mulierbus volentibus ingredi eorum Religionem, Eccleſias, Monaſteria, Prioratus, Domus, ſive loca, in earumdem perſonarum receptione: aut*

*ante*

*ante vel post illam, quoscunque pastus, prandia, seu cœnas, pecunias, jocalia, aut alias res etiam ad usum Ecclesiasticum, seu quemvis pium usum alium deputatas, vel deputandas directe, vel indirecte petere, vel exigere quomodo præsumpserint, ipsi quoque dantes.* Extrav. com. 1. de simono.

## XVII.

*Religiosi mendicantes, qui in alium ordinem (ordine Carthusiensium duntaxat excepto) transiverint, tam accepti, quam accipientes.* Extrav. com. 1. de Regul. & transf. ad rel.

## XVIII.

*Quicunque dixerint veras esse assertiones, quibus dicitur eos mortaliter peccare, aut hæreticos esse, qui docent Beatam Mariam Virginem absque originalis peccati macula conceptam esse, & eos graviter peccare qui ejusdem Immaculatæ Conceptionis officium celebrant, audiuntque sermones illorum, qui Eam sine hujusmodi macula conceptam*

*tam esse affirmant. Item quicunque libros id continentes legere, tenere vel habere præsumpserint.* Extrav. com. 2. de vent. Sanct.

XIX.

*Si quis judicium, cujusvis sibi commissæ causæ (de re beneficiali) expeditionem malitiose prorogare, aut differre præsumpserit.* Extrav. com. 1. de Treuga & pace.

XX.

*Si quis Religiosus cujuscunque conditionis, Religionis, ordinis, vel status existat, absque Superioris Ordinis sui licentia sibi per litteras patentes concessa, ad partes transmarinas se conferat, in quibus pauci fideles respectu infidelium commorantur.* Extrav. com. de regul. & trans. ad relig.

XXI.

*Qui corpora defunctorum exenteraverint, & frustatim concisa in aquis decoxerint, ut ossa carnibus spoliata de-*

*ferant alio tumulanda.* Extrav. com. 1, de Sepult.

XXII.

*Quicunque falsam Monetam in Regno Franciæ fabricaverint, aut alibi emerint, & emptam in idem Regnum portaverint.* Extrav. Joan. XXII. crim. fals.

XXIII.

*Omnes Ordinarii, & Officiales Commissarii & Delegati eorum, qui se de dignitatibus ac Beneficiis Ecclesiasticis quibuscunque Officialium (Sedis Apostolicæ) aut negotia apud prædictam sedem prosequentium intromiserint, eos illis forsan privando, atque privatos decernendo seu declarando, aut cujuscunque privationis prætextu, illa personis aliis conferendo, seu de illis in eos quomodolibet se intromittendo tam dantes, quam accipientes.* Extrav. com. 3. de privil.

XXIV.

*Inquisitores hæreticæ pravitatis, qui odii, gratiæ, vel amoris lucri, aut*

*com-*

*commodi temporalis obtentu contra justitiam, & conscientiam suam omiserint contra quemquam procedere, ubi fuerit procedendum, aut obtentu eodem pravitatem ipsam, vel impedimentum officii sui alicui imponendo, eum super hoc præsumpserint quoquo modo vexare.* Clem 1. de hæret.

## XXV.

*Omnes, qui aliquod pactum fecerint, vel aliquid promiserint, vel promissionem receperint, aut quidquam dederint, aut receperint pro aliqua justitia, sive gratia per Litteras Apostolicas quibuscunque modis apud sedem Apostolicam obtinenda. Illi quoque, qui aliquem sciverint culpabilem in prædictis, & Summo Pontifici intra dierum trium spatium non retulerint, vel alicui, per quem ad ipsum fideliter perferatur.* Extrav.

*Nota:* 1*mo*. Etsi fieri possit, quod nonnulli de his casibus a nobis relatis in quibusdam Diœcesibus tanquam Ro-

mano Pontifici reſervati non habeantur, eos tamen prætermittendos non duxi ideo, quia quotquot in jure Canonico Ei reſervatos invenire poteram, exponere conſtitui.

2*do*. Præter hic expoſitos caſus in diverſis Diœceſibus particulares adhuc quidam Romano Pontifici reſervantur; cujus exemplum habemus in Diœceſi Remenſi, ubi abſolutio a percuſſione patris proprii ex certa ſcientia facta Romanæ Sedi eſt reſervata. Quodſi ergo talis conſuetudo alicubi obtinuit, ſe ei conformare tenetur Sacerdos.

3*tio*. Sunt plures Bullæ, in quibus a certis caſibus abſolutio Romanæ Sedi reſervatur; quæ tamen, quia non ubique ſunt receptæ, non ubivis locorum vim legis obtinent, ideo etiam eas hic prætermittimus; ejusmodi enim particularitates e Rituali Diœceſano diſci poſſunt.

*4to.* Concilium Trident. Episcopis jus asserit absolvendi a casibus Romanæ Sedi reservatis, dum occulti sunt; verum quid per vocem *occultum* Concilium intelligat, Theologi inter se non conveniunt. Quidam occultum æstimant casum, quem nec duæ vel tres personæ, quorum testimonium coram judice acceptaretur, norunt; alii per occultos intelligunt eos, qui non sunt publici publicitate facti aut juris; alii, qui in judicio probati, aut confessi non fuerunt; alii qui ad forum contentiosum devoluti non sunt; verisimilior ex his nobis apparet sententia eorum, qui peccatum occultum esse jndicant eorum, quod publicum non est publicitate facti, aut juris.

Peccatum publicum est *publicitate juris*, dum sententia definitiva, qua reus convictus de hoc scelere declaratur, lata est. Publicum autem *publicitate facti* tribus in circumstantiis censeri potest. 1*mo.* Dum factum patratum fuit in præsentia septem

vel octo personarum in loco quodam parvo, ut in collegio, monasterio, capitulo, aut pago; in majori autem, ut in civitate, necessarii sunt ad minus novem vel decem testes, factum hoc pacto publicum nominatur *notorium notorietate facti.* 2*do.* Publicum censetur crimen, dum vel is, qui illud commisit, vel ii, in quorum præsentia factum fuit, illud ipsum numero sufficienti personarum manifestarunt, & crimen hoc modo publicum Canonistæ appellant *manifestum.* 3*tio* Quando publicum de crimine aliquo est suasum ex conjecturis convincentibus & solidis, etiamsi nullus eorum ejus perpetrationem viderit; quod frequenter respectu concubinatus contingere solet, & hoc dicitur *famosum;* hanc doctrinam nobis suppeditat Navarra Concilio Tridentino contemporaneus hoc modo differens: C. 27. n. 250.

*Occultum est, quod non est publicum. Publicum autem, quod est notorium,* *mani-*

*manifeſtum vel famoſum -- -- -- Sufficit tamen eſſe tale viciniæ, Collegio, vel Monaſterio, licet non Provinciæ, civitati, vel Parochiæ. Tunc autem dicetur tale alicui eorum, quando majori parti eorum fuerit tale: modo ſaltem decem inveniantur in eo -- -- -- Notorium eſt, quod nititur ſcientia majoris partis prædictarum communitatum. Manifeſtum, quod nititur fama ejusdem majoris partis orta ex ſcientia. Et famoſum, quod nititur fama majoris partis orta non ex ſcientibus, ſed indiciis, & præſumptionibus.*

Navarra alter Ordinis S. Franciſci, qui Innocentii XI. Pœnitentiarius erat, explicans, quid in ſtylo Sacræ Pœnitentiariæ, de quo ille probe inſtructus fuerat, occultum dicatur, ita diſſerit: *In Man. c. 27. de delect. notor. n 150. Occultum hic dicitur, quod a nemine, vel a tam paucis ſcitur, quod neque ſit famoſum, neque manifeſtum, neque notorium facti, vel juris. Unde etiamſi aliquibus notum ſit, &*

*etiamſi ſecundum ſe probabile ſit in judicio, dum interim non probatur, neque ad judicium defertur, eſt adhuc occultum. Sic v. g. ſi res, de qua agitur, ſit nota duobus, vel tribus alicujus loci, aut communitatis, aut capituli, adhuc eſt occulta. Si in oppido eſt nota quinque aut ſex perſonis, in civitate vero ſeptem, aut octo, adhuc occulta cenſeri debet; modo ſcilicet ab illis jam non fuerit divulgata, aut ex circumſtantiis non appareat rem quidem nunc occultam, tamen facile publicandam.*

Primus ergo ex his Authoribus, quid vox *occultum* in jure Canonico ſignificet, & quid per eam Concilium Tridentinum intellexerit, nobis explicat, alter autem declarat, quem ſenſum Pœnitentiaria Romana eidem voci tribuat.

Caſus reſervatus Romano Pontifici juxta hanc doctrinam occultus cenſetur, & Epiſcopi ab eo abſolvere poſſunt,

dum

dum nonnisi paucæ personæ ejus notitiam habent; non obstante, quod hæ sufficientes sint ad probandum in judicio, modo factum non amplius divulgaverint. Item a tali casu absolvere potest Episcopus, ubi is ad forum contentiosum delatus, ac reus liber pronunciatus fuit. Ad hoc tamen non requiritur, ut per sententiam liber pronuncietur, nisi cum ipsum crimen publicitate facti publicum est.

Quidam Galliarum Episcopi vocem *occultum* ita explicant, *occultum hic opponitur publico illi, quod vel in judicio probatum est, vel nulla tergiversatione in tota vicinia celari potest*, juxta hanc eorum explicationem casus occultus censetur, & absolutio illius ab Episcopo concedi potest, quando notorius non est *notorietate juris* per sententiam judicis, aut *notorietate facti*; & ita criminis, quod manifestum, aut famosum est, adhuc absolutionem Episcopus concedere potest. Quo enim Episcopus absolvere

non possit a reservato Romano Pontifici casu, requiritur, ut vel crimen publice commissum fuerit, vel reus tanquam talis per sententiam judicis pronuncietur; quia extra has duas circumstantias peccatum illud semper adhuc aliquomodo occultum dici potest, scilicet in eo sensu, quo occultum notorio opponitur.

Hæc doctrina ipsi Tridentino Concilio conformis dici potest, quandoquidem termini, quibus Concilium utitur, hoc jus Episcopis asserendo favorabiliter explicari, ac per consequens ad omne illud extendi debet, quod aliquo modo occultum dici valet.

Sententiæ eorum, qui judicant, quod a casu Romano Pontifici reservato, si duabus vel tribus personis notus sit, absolvere non liceat Episcopo, ideo non subscribimus, quia non nisi paucorum est, ac praxi Pœnitentiariæ Romanæ repugnat, a qua pec-

peccatum occultum censetur, cujus paucæ personæ notitiam habent.

Eorum opinionem, qui factum tum solum occultum non esse asserunt, quando de eo sententia judicis nondum lata fuit, reprobamus ideo, quia noviter inventa, in nullo Canonum fundata, ac nulla solida ratione munita est.

Jus quoque absolvendi a quocunque casu Romanæ Sedi reservato etiam publico Episcopis conceditur respectu omnium personarum, quibus ad Sacram Sedem recurrere moraliter impossibile est.

## CAPUT IV.

### Regulæ ad interpretationem Casuum Episcopis reservatorum inservientes.

Cum impossibile sit universos casus, quos diversi sibi reservant Episcopi, hic enumerare; regulas

quasdam generales ad explicandos eos hic exponimus, quæ his quatuor verſibus includuntur:

*Completum, externum, certum, mortale favores.*
*Auge. Odium ſtringe. A potiori ratio nulla eſt.*
*Mas annos habeat bis ſeptem, fœmina bis ſex*
*Solvo mandantes, quando non jura reſervant.*

*Completum.* Hæc vox notat, quod reſervatio caſus alicujus non incurratur ſola intentione, aut ſolo conatu patrandi aliquem actum malum, cujus abſolutionem Epiſcopus ſibi reſervavit, ſed neceſſarium eſſe, ut actus reipſa opere compleatur, ita e. g. ubi homicidium voluntarium inter reſervata Epiſcopo eſt, quo reſervatum reipſa cenſeatur, non ſufficit ſolus conatus occidendi, aut etiam vulneratio cum intentione occidendi facta, niſi ex ea mors ſequatur, quia

ſecus completum homicidium non conſtituit. Aut ubi compotationes in popinis Eccleſiaſticis ſub pœna ſuſpenſionis reſervatæ interdicuntur, non incurrit ſuſpenſionem, qui animo bibendi popinam ingreditur, niſi etiam reipſa ibi biberit. Obſervandum tamen venit, quod Superiores etiam ſimplicem conatum, & peccatum imperfecte impletum ſibi reſervare poſſint; tum autem neceſſe eſt, ut hanc intentionem ſuam expreſſis verbis declarent.

*Externum.* Etſi Epiſcopis jus competat reſervandi ſibi peccata pure interna, eorum tamen caſus reſervati de externis ſolum actibus interpretandi ſunt eousque, donec de internis etiam intelligendos eſſe ipſi declaraverint; hoc enim pacto interpretandos eſſe uſus & conſuetudo docent; & hoc eſt, quod vox *externum* innuit. Ita e. g. dum peccatum hæreſis reſervatum eſt, etſi ſolo actu mentis interno perfici poſſit, tamem reſerva-

tum non censetur, nisi opere quodam externo manifestum fuerit, puta: quod verbis, vel scripto illud declaraverit, actum quemdam religionis externum ponere prætermiserit, sic si Sacrificio Missæ diebus festis interesse neglexisset, aut rem aliquam Sacram profanasset. Etsi externus actus requiratur ad reservationem, ut diximus, tamen necesse non est, ut hic idem externus actus ab aliis advertatur, nisi hæc aliorum advertentia requiratur ab ipso reservante.

*Certum.* Certitudo dubio opponitur, ideo dum ad reservationem casus requirimus, ut sit certus, intelligendum venit hoc pacto: ut nullum dubium sive juris, sive facti de casus reservatione subversetur. Per dubium juris intelligimus illud, quod versatur circa ipsam legem, an sit lex, qua tale peccatum Episcopo reservatur, aut an sub reservatione hic idem actus comprehendatur; sic e. g. circa magiam dubium juris esse potest,

teſt, an magiæ peccatum Epiſcopo reſervetur, aut an ſub reſervatione, qua hoc peccatum ſibi reſervat, etiam conſulentes magos comprehendere velit.

Circa factum verſatur dubium, dum pœnitens dubitat, an hoc peccatum commiſerit, an illud actu compleverit, an annos pubertatis jam attigerit, an hoc actu mortaliter peccaverit, quia circumſtantiæ adſunt, quæ a mortali eum excuſare videntur.

Quotieſcunque dubium circa jus vel factum ſubverſatur, quisque Sacerdos approbatus etiam ſpecialem a reſervatis abſolvendi poteſtatem non habens, a tali paccato abſolvere poteſt. Rationes hujus doctrinæ ſequentes ſunt, *prima*: quia eodem modo circa caſus Romano Pontifici reſervatos agunt Epiſcopi; qui quoties dubium circa jus, vel factum verſatur, abſolvunt. 2*da*. quia reſervatio caſuum eſt odioſa, & vel ideo ad

ca-

caſus certos reſtringenda, nec unquam ad incertos extendenda eſt, juxta regulam: *odia ſunt reſtringenda* huic enim ipſi regulæ innixi Epiſcopi a caſibus Romano Pontifici reſervatis abſolvunt.

Circa hanc doctrinam notandum venit, quod cum id commode fieri poteſt, confeſſarius, ubi dubium circa jus verſatur, ad Epiſcopum recurrere, tanquam auctorem legis, & illius interpretationem petere debeat, quodſi vero recurſus talis fieri non poſſit, ſaltem conſilium aliorum, quorum doctrina & pietas probata eſt, hac ſuper re requirat, ac non niſi tum adhuc perſevarante dubio pœnitentem abſolvat. Pari modo circa dubium facti aliorum conſilium exquirere tenetur Sacerdos, ne pro dubio reſpiciat, quod dubium non eſt, ſit enim vel ex ignorantia, vel ex negligentia de caſu quodam reſervato tanquam dubio, ubi reipſa dubius non eſt, abſolutionem tribueret, decipe-

ret

ret pœnitentem ſuum, ſacrilegiumque committeret, ac abſolutio data foret invalida.

*Mortale.* Hæc vox notat, quod peccatum quo reſervatum ſit, mortale eſſe debeat, nam peccata venialia confeſſionis materia neceſſaria non ſunt, & ideo etiam Epiſcopus pœnitentes, ut pro petenda ab his abſolutione ad ſe recurrant, compellere non poteſt; hinc ergo, ſi quis peccatum commiſerit Epiſcopo reſervatum, illudque vel ob materiæ levitatem, vel alio capite veniale tantum ſit, reſervationem non incurrit.

Quo peccatum reſervatum cenſeatur, porro neceſſe eſt, ut actus in ſe, non autem ex accidenti aliquo ſit mortale peccatum, ita e. g. dum abſolutionem a furto rei ſacræ ſibi reſervavit Epiſcopus, neceſſe eſt, ut ipſa materia furti hujus mortale peccatum conſtituat; nam ſi adeo exiguam rem ſacram furto ſuſtuliſſet, quæ

non

non nisi veniale peccatum constituit, non obstante, quod ratione scandali hoc actu dati aut ratione intentionis furandi amplius, aut ratione finis alterius graviter mali talis actus mortale peccatum fiat, tamen peccatum reservatum non esset; quia circumstantiæ tales materiam reservationis non constituentes efficere non possunt, ut peccatum quod sine iis reservatum non fuisset, reservetur.

*Favores auge.* Id est: licentia absolvendi a reservatis concessa, quia favor est, quantumcunque verba admittunt, extendi potest, sic e. g. cui potestas facta est a casibus reservatis absolvendi parochianos suos, etiam parochianas absolvere potest; imo non solum personas domicilium fixum in Parochia sua habentes, verum quascunque etiam alterius Parochiæ negotiorum causa ibi commorantes, & ad Sacramentum Pœnitentiæ se præsentantes; quia universi hi nomine

Pa-

Parochianorum ſuorum quodam modo comprehendi poſſunt.

Licentia abſolvendi determinatam perſonam ſimul includit caſus alios æque reſervatos, ab eadem perſona, antequam hæc facultas peteretur, commiſſos, ſi eorum mentio vel ex ignorantia, vel ex inadvertentia facta non eſt. Cenſetur enim Superior conſentire, ut abſolutio etiam ſuper his detur, ſicut cum ab uno caſu reſervato abſolvit, cenſetur habere intentionem ab omnibus reliquis abſolvendi, quibus pœnitens eſt obnoxius, & quorum confeſſionem inculpate prætermiſit.

Non tamen hoc ipſum extendi debet ad peccata poſt talem licentiam ante obtentam primo commiſſa, non enim conſenſiſſe in illud, quod nondum erat commiſſum, cenſeri poteſt. Quodſi vero confeſſarius generaliter licentiam abſolvendi a reſervatis caſibus certam perſonam ab Epiſcopo & petiit, &

ob-

obtinuit, eam non ſolum ab ante commiſſis, verum etiam ab iis, quæ poſt licentiam talem obtentam, antequam tamen abſolveretur, commiſit, abſolvere poteſt confeſſarius, quia licentia a Superiore conceſſa directe perſonam reſpicit, nec ad certum determinatum caſum eſt reſtricta. Optime aget confeſſarius, ſi, dum licentiam a reſervatis abſolvendi petit, generalem, abſolvendi ſcilicet ab omnibus, quibus perſona hæc obſtricta eſt, caſibus petierit. Dixi quoque ſuperius, quod ab omnibus æque reſervatis, nam ſi caſus ſpecialiter reſervatus foret, cujus abſolutionem non facile committit Superior, hæc interpretatio non ſubſiſteret.

*Odium ſtringe.* Vi hujus reſervatio caſuum in ſenſu ſtrictiſſimo, ac per conſequens proprio & naturali terminorum ſumenda eſt, ita e. g. vox *Pater* non niſi de naturali Patre eſt intelligenda, & non ad vitricum, aut patrem adoptantem extendi poteſt.

Duæ

Duæ tamen ſunt circumſtantiæ, in quibus termini non in naturali ſed in improprio ſenſu ſumi poſſunt: 1*mo*. Dum idem terminus aliam præter naturalem de communi acceptione habet ſignificationem, ut e. g. vox *cenſura*, *Sacramentum*, *beneficium* & aliæ ejusmodi, quas Theologi in alio ſenſu accipere ſolent. quam naturalis eorum ſenſus eſt. 2*da*. Dum propria vocis ſignificatio ſenſum talem efficeret, qui legem redderet inutilem, aut legi alteri, vel intentioni legislatoris contrariantem; tum enim ſupponi poteſt, legislatoris mentem non eſſe: ut terminus in propria ſignificatione ſua aſſumatur. Quare vox talis eo modo explicanda foret, ut & intentioni legislatoris conveniat, & ſimul cum antecedentibus & conſequentibus, aliisque circumſtantiis connexis concordet.

In caſibus reſervatis termini, *ſi quis*, aut *quisquis* latiſſimam habent ſignificationem, ita ut non ſolum mares, verum & fœminæ ſub iis intel-

li-

ligantur, nisi forte actus talis esset, qui a sexu altero committi non posset.

*A potiori ratio nulla est.* Hoc est: a casu uno reservato alterius cujusdam casus æqualis, aut majoris malitiæ reservatio inferri non potest; quia reservatio casuum a voluntate Superioris solum pendet. Ab hac generali regula tamen excipiuntur casus graviores, in quibus tota malitia minus gravis peccati, quod explicite reservatum est, includitur; ita e. g. si fornicationis peccatum reservatum sit, etiam adulterium, incestus, & stuprum pro reservatis haberi debent; quia omnem fornicationis malitiam in se habent inclusam, quod si autem non omnem malitiam includat minoris, reservatum censeri non debet, ita e. g. ubi adulterium in loco sacro commissum reservatum est, incestus in eodem loco sacro commissus pro peccato reservato non habetur, quia non omnem adulterii malitiam in se continet.

*Mas*

*Mas annos habeat bis ſeptem, fœmina bis ſex.* Etſi Epiſcopis jus conveniat etiam peccata ab impuberibus commiſſa ſibi reſervandi; quia tamen hoc facere non ſolent, quisque Sacerdos a caſu reſervato abſolvere poteſt, quem pœnitens ante pubertatis annos commiſit, etiamſi poſt pubertatis annos expletos primo illum confiteatur. Quodſi tamen Epiſcopus ſpecialiter declararet, quod etiam ab impuberibus talia commiſſa peccata ſibi reſervet, declarationi huic ſe conformare tenetur Sacerdos.

Violenta manuum injectio in Clericum vel Monachum juxta *Cap. ult. de Sent. exc.* Epiſcopo reſervata eſt; quod nonnulli ad univerſos caſus Romano Pontifici reſervatos ante pubertatis annos commiſſos extendere volunt. Sed hoc regulæ ſupra datæ, *Odia ſunt reſtringenda*, repugnat.

*Solvo mandantes, quando non jura reſervant.* Id eſt: niſi ſpecialiter

man-

mandantis mentio fiat in reservatione casus alicujus, mandatum reservatum non censetur, quod tamen cum limitatione sumendum esse, non sine fundamento magni nominis Auctor putat; ut scilicet, si exprimatur casus hoc pacto, *si quis blasphemaverit*, mandantem non comprehendi; bene vero, si generaliter reservetur *blasphemia, adulterium* &c.

Dum reservatur peccatum etiam illius, qui factum non impedivit, non quisque non impediens, sed is, qui vi muneris sui & potuit, & debuit, intelligendus venit, hoc enim innuit *Glossa in Cap. Quantæ de Sent. exc.*

50,-